R E L A T I O D I O E C E S A N A

AD S. APOSTOLICAM SEDEM

confecta

AB ORDINARIO KAUNENSI

anno D-ni 1928.

R E L A T I O   D I O E C E S A N A

AD S.APOSTOLICAM SEDEM

confecta

AB ORDINARIO KAUNENSI

C A P U T   I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Ordinarius loci Archidioecesis Kaunensis est Ioseph Skvireckas, Archiepiscopus et Metropolita Kaunensis, anno 1873 die 20 septembris in paroecia Pumpenai dioecesis Panevėžensis natus. Ad sedem Metropolitanam Kaunensem translatus die 5 aprilis 1926 anni et in Consistorio die 21 iunii eiusdem anni promulgatus. Antea Episcopus titularis Ceramensis et Auxiliaris Samogitiensis, consecratus die 13 iulii anni 1919. Archidioecesis Kaunensis regimen suscepit die 13 maii 1926 anni.

2. Archidioecesis Kaunensis erecta est una cum Provincia ecclesiastica in Lituania litteris Apostolicis "Lituanorum Gente" die 4 aprilis 1926 an. Complectitur partem praecipuam et centralem pristinae dioecesis Samogitiensis,*) cuius ecclesia Cathedralis sub titulo SS.

---

*) Dioecesis Samogitiensis erecta erat anno 1417, cura Vitoldi Magni Ducis Lituaniae, a concilio Constantiensi cum sede episcopali in urbe Varniai seu Medininkai et a S.P.Martino V an.1421 confirmata. Temporis decursu varios fines habuit. Anno 1864 sedes episcopalis cum capitulo cathedrali et seminario dioecesano a gubernio Russorum Varnis Kaunam translata est. Ecclesia, quae hic honori SS.Apostolorum Petri et Pauli dicata erat, cathedralis vocari coepta est et ab an. 1895 auctoritate Apostolica S.P.Leonis XIII Cathedra Samogitiensis facta erat. Cathedrale hoc templum, occasione quinti iam elapsi saeculi ex quo condita primum est dioecesis Samogitiensis, litteris Apostolicis, die 26 aprilis 1921 anni datis, honoribus Basilicae Minoris auctum est.

Apostolorum Petri et Pauli in urbe Kaunas, iam anno 1921 die 26 aprilis honoribus Basilicae Minoris aucta, ad dignitatem Ecclesiae Metropolitanae evecta est.

Ut Metropolitana suffraganeas sedes habet: Vilkaviškensem, Telšensem cum Praelatura Klaipėdensi, Panevėžensem et Kaišedorensem.

Ordinarium appellationis habet Episcopum Vilkaviškensem. Quam designationem SS-mus D.N. benigne approbavit per rescriptum S.C. Consistorialis die 4 iunii 1926 an.

3. a) Locus residentiae Ordinarii Kaunensis est urbs (p.t. capitalis Reipublicae Lituanae) Kaunas.

Indicationes ad epistolas scribendas: Archiepiscopo Kaunensi, Kaunas in Lituania.

b) Archidioecesis Kaunensis amplectitur circa 12.000 qkl. territorii, divisi in quinque fere districtus civiles Reipublicae Lituanae; fines tamen Archidioecesis cum finibus districtuum ad amussim non coincidunt. Coeli temperies est moderata; hieme tamen frigora non diuturna attingunt -20°Celsii; aestate calores raro superant +20°C. Lingua incolarum lituana; pauci tantum intelligunt linguam russicam et polonicam.

c) Summa incolarum in territorio Archidioecesis Kaunensis attingit 540.000 (25% omnium incolarum Lituaniae). Oppida praecipua sunt: Kaunas, Šiauliai, Raseiniai, Ukmergė, Kėdainiai, Joniškis, Žagarė.

Longe plerique incolae (86%) Archidioecesis sunt catholici. Eorum numerus est fere 470.000. Ceteri sunt: iudaei (circa 50.000), graeco-orientalis schismatis asseclae, lutherani, calvinistae et aliarum denominationum protestantes.

d) Numerus sacerdotum saecularium est 251. In Seminario Metropolitano habentur 193 alumni, quorum tamen plerique utpote oriundi e dioecesibus Telšensi, Panevėžensi et Kaišedorensi studiis ab-

solutis ad clerum harum dioecesium pertinebunt.

e) Capitulum cathedrale manet idem quod fuit ante dioecesis Samogitiensis dismembrationem et evectionem eius ecclesiae cathedralis ad dignitatem metropolitanae.

f) Archidioecesis divisa est in 10 decanatus seu vicariatus foraneos. Ecclesiae paroeciales habentur 76. In maximis paroeciis numerus catholicorum superat 10.000. Tales numerantur quinque. Paroeciae (10) cum 1500-2000 catholicis habentur inter minimas.

Paroeciae per linguas seu nationes distributae vel per familias distinctae non existunt; omnes paroeciae sunt territorio divisae.

Praeter dictas ecclesias paroeciales dantur 31 ecclesiae filiales, apud quas sunt vicarii pro parte vulgo filialistae vel curati. Sunt praeterea 11 ecclesiae seu oratoria publica, apud quas habentur rectores.

Sacra loca celeberrima sunt Šiluva et Pažaislis, clara imaginibus miraculosis B.M.V., quae magna fidelium veneratione gaudent et notabili populi concursu coluntur. Imago Šiluvensis anno 1786 decorata est corona a Summo Pontifice PIo VI benedicta.

g) Religiones virorum in Archidioecesi sunt: 1) Ordinis Fratrum Minorum Residentia Kaunae cum 2 sacerdotibus; 2) Ordinis Societatis Jesu Missio Lituana Kaunae cum 5 sacerdotibus; 3) Congregationis Clericorum Regularium Marianorum domus Kaunensis cum 3 sacerdotibus et domus Filialis Ukmergensis cum 1 sacerdote.

h) Religiones mulierum in Archidioecesi habentur: 1) Monasterium Monialium Ordinis S.Benedicti Kaunae cum 6 professis sororibus; 2) Domus religiosa Congregationis sororum S.Casimiri in monasterio Pažaislensi cum 40 professis sororibus; 3) Conventus Sororum S.Catharinae V.M. in Krakės cum 22 sororibus professis; et 4) Domus religiosa Congregationis Sororum a S.Cruce in loco Šiauliai cum 3 sororibus.

Adsunt praeterea tres Congregationes absconditae: Famularum S. Cordis Jesu, Famularum B.Mariae Immaculatae et Filiarum Purissimae Cordis Jesu.

CAPUT II.

De administratione temporalium bonorum,de inventariis et archivis.

4. Secundum Concordatum (art.XXII) et leges civiles omnes personae iuridicae ecclesiasticae et religiosae habent ius proprietatis in omnia bona quae nunc possident omnemque necessariam libertatem in horum bonorum administrationem secundum leges divinas et ius canonicum (art.I). Quae tamen bona tributis solvendis et oneribus publicis ferendis sunt obnoxia ad normam legis communis (art.XVI).

5. Ad ordinandum universorum bonorum ecclesiasticorum negotium penes Curiam habetur Consilium Administrationis, cuius praeses est ipse Ordinarius loci. Consiliarii autem sunt: Praelatus C.Šaulys, Praelatus I.Maironis-Mačiulis, Can. I.Byla. In administrativis actibus maioris momenti Ordinarius hoc Consilium Administrationis audire non praetermittit, ad normam can. 1520.

6. Administratores tam ecclesiastici quam laici cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, piorum locorum canonice erectorum et confraternitatum reddunt quotannis Ordinario relationem suae administrationis, ad normam can. 1521.

7. Praescripta can. 1523 circa modum administrationis bonorum ecclesiasticorum quantum fieri potest servantur; librique accepti et expensi secundum formam a Curia archidioecesana praescriptam ubique habentur.

Canon 1526 de non inchoandis litibus sine scripta Ordinarii licentia et can. 1527 de abstinendo ab actibus ordinariam administrationem excedentibus omnino servantur.

Piae fundationes nunc temporis in Archidioecesi sunt paucissimae. Praescripta can. 1544 et seqq. circa congruam dotem et tabu-

lis piarum fundationum servandis.

8. Bona fiduciarie clericis tradita, de quibus in can.1516, in Archidioecesi quantum scio nulla sunt.

9. Normae can.1530-1533, 1538-1542 circa venditionem, permutationem etc. bonorum ecclesiasticorum quantum fieri potest fideliter servantur. Casus oppignorationis et emphyteusis in Archidioecesi nunc temporis sunt nulli.

10. Fere ubique in Archidioecesi viget antiqua consuetudo accipiendi a fidelibus tempore visitationis paroeciae parvas oblationes in pecunia aut frumento in commodum cleri paroecialis et famulorum ecclesiae. Quae oblationes omnino libere praebentur et post bellum haud parum imminutae sunt.

11. Circa liberas oblationes in commodum paroeciae et ecclesiarum omnino servantur praescripta can.1182.

12. Circa manualem Missarum stipem servantur in Archidioecesi consuetudines locales. Maior stipes a sacerdotibus non exigitur, qui non raro contenti sunt etiam minore, nam in genere post bellum numerus stipendiorum valde imminutus est et solummodo paulatim crescit. Sacerdotes haud raro celebrant Missas absque stipendio. In una alterave paroecia exuberantes stipes traduntur vicinis sacerdotibus vel transmittuntur ad Ordinarium. Libri tam personales quam ecclesiarum pro Missis adnotandis habentur.

13. Inventaria immobilium, mobilium et sacrae supellectilis ecclesiarum paroecialium aliorumque, capituli cathedralis, confraternitatum aliorumque locorum piorum confecta habentur in duplici exemplari, quorum alterum in archivis ecclesiae loci vel pii operis aut instituti servatur, alterum autem in Curia archiepiscopali habetur, ad normam can. 1296, 1522.

Ne morte rectoris ecclesiae aut superioris pii operis mobilia aut supellectilia disperdantur aut subtrahantur, cautum est per confectionem inventariorum in forma, ut debitum effectum etiam in foro civili sortiantur.

14. Archivum archidioecesanum habetur erectum et custoditum ad tramitem can.375-378. In eo sunt documenta et libri, de quibus in can.470 § 3, 1010, 1047,1107. Documenta et libri paroeciales incipiunt ab anno 1652; habentur etiam eorum cathalogi.

In cancellaria archiepiscopali habetur archivum secretum cum armario obserato, in quo scripturae secretae custodiuntur, servatis regulis can.379-380.

15. Ecclesia cathedralis, paroeciales et filiales atque alia pia loca habent sua quoque archiva cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium.

Haud pauca documenta ecclesiarum paroecialium perierunt tempore belli; quaedam incendio deleta sunt. Cathalogi novi conficiuntur. Exemplaria antiquorum cathalogorum in Curia archidioecesana paucissima habentur.

C A P U T III.

De fide et cultu divino.

16. Errores contra fidem inter Archidioecesis fideles non serpunt; ignorantia tamen in rebus fidei et inter cultiores indifferentismus haud parva sunt. Sunt qui dicunt se esse socialistas vel clam etiam bolschevistas. Modernismi, theosophismi, spiritismi erroribus nec laici neque aliqui ex clero infecti sunt.

Consilium a vigilantia, constans 4 sacerdotibus, vix habeat aliquid ad faciendum.

Professio fidei cum iuramento antimodernistico exigitur et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestatur.

17. Exercitia cultus divini gaudent plena libertate.

18. Omnia coemeteria sunt Ecclesiae proprietas, et canonicae de his leges servari possunt servanturque.

19. In cultu divino, in Sanctorum, sacrorum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione, nec non in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae et liturgicae servantur.

Nonnullae singulares consuetudines, fundatae auctoritate "Ritualis Sacramentorum Petricoviensis", sunt propriae non solum omnibus ecclesiis Lituaniae, sed etiam regionum adiacentium (Poloniae, Lettoniae etc.). Aboleri absque populi scandalo illae non possunt. De illis omnibus relatio accurata facta est S.Rituum Congregationi per p.m.Visitatorem Apostolicum Lituaniae R-mum Archiepiscopum Matulevičius. Ubi primum hae consuetudines examinatae fuerint a dicta S.Rituum Congregatione, eius decretis parebimus.

In ecclesiis picturae, statuae, aliaque a sanctitate loci aliena vel liturgicis rebus minus consona non adsunt.

Profani conventus vel nundinae in ecclesiis non fiunt.

20. Numerus ecclesiarum in singulis oppidis et paroeciis fidelium necessitati est fere sufficiens.

21. Ecclesiae omnes generatim sunt satis mundae, decenter ornatae et supellectili sufficienter provisae.

Ecclesiae: cathedralis Kaunae, Pažaislensis, Šiluvensis, Šiaulensis, Tytavėnensis eminent structurae arte, eaedem sunt insigniores abundantiore supellectili et paramentis, de quibus omnibus congrua cura adhibetur.

22. Ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, est omnibus prorsus absolute semperque gratuitus.

23. Ne furtis et profanationibus obnoxiae sint ecclesiae rite custodiuntur. Ecclesiae in quibus SS.Eucharistia asservatur,praesertim paroeciales, cotidie per aliquot horas fidelibus patent.

Cann.1267 et 1268 circa custodiam SS.Sacramenti in uno tantum loco et altari et circa decorem et ornamentum altaris eiusdem;can. 1269 circa tabernaculi statum, can.1271 circa lumen perpetuum coram Sanctissimo observantur.

C A P U T IV.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

24. Ordinarius Kaunensis fruitur reditibus: 1. ex bonis immobilibus quae nunc post dismembrationem constant: a) praedio 45 ha,b)duobus lacubus, c) domo lignea in loco antiquae sedis episcopalis in Varniai (qui reditus sunt minimi) ; 2) ex publico aerario percipitur annua pensio et pro sustentatione domus, in totum 24.000 litorum summa (circa 45.000 libell.ital.). Qui reditus vix sufficientes sunt ad honestam sustentationem.

Domus archiepiscopalis Kaunae est muro latericio constructa, constans duabus contignationibus, quarum superiorem inhabitat Archiepiscopus cum famulo. In inferiore contignatione invenitur cancellaria Archiepiscopi cum cubiculis pro secretario. Ibidem sunt cubiculi pro ostiario et culina cum famulatu.

Cathedraticum solvitur ad libitum.

Ab omnibus sacerdotibus visitationi decanorum vel vicariorum foraneorum obnoxiis solvitur inde a multis annis praestatio specialis pro Seminario in annua quantitate 50 litorum.

Archiepiscopus sive qua Ordinarius, sive qua persona privata

nullo aere alieno est gravatus.

25. Aedes archiepiscopalis et bona mensae sive mobilia sive immobilia descripta sunt accurato inventario, confecto ad normam cann. 1483, 1299 et 1301.

26. Post renuntiationem Episcopi Samogitiensis Francisci Karevičius statim coepi administrare dioecesim primum ut Administrator Apostolicus dein ut Archiepiscopus Kaunensis. Proin vacatio sedis non fuit.

27. Ordinarius legi residentiae satisfacit per continuam commorationem in civitate archiepiscopali; reliquit illam tantum ad Archidioecesim visitandam. Pontificalia peragit in sollemnioribus festivitatibus et facit allocutionem ad populum; litteras pastorales ad clerum et populum dat bis fere in anno vel solus vel una cum aliis Episcopis provinciae. Leges ecclesiasticae et dioecesanae notae fiunt per insertionem et publicationem in officiali folio dioecesano "Tiesos Kelias". Decani seu vicarii foranei tenentur obligatione advigilandi et curandi ut leges fideliter serventur, ad normam can. 336.

28. Sacramentum Confirmationis administratur ab Archiepiscopo occasione visitationis ecclesiarum Archidioecesis; praeterea in civitate episcopali administratur Confirmatio bis in anno in festis sollemnioribus.

In huius Sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis servantur.

29. Inde a die 13 maii 1926 anni, quo Archiepiscopus regimen suscepit, praeter alios ordines minores vel maiores, ad presbyteratum promovi 30 diaconos. Kaunae ordines suscipiunt cum licentia respectivorum Ordinariorum fere omnes clerici dioecesium Telšensis, Panevėžensis et Kaišedorensis. Leges de non promovendis a) qui necessa-

rii non sunt vel utiles (can.969), b) qui integrum 4 annorum cursum theologiae non peregerunt (can.972 § 1) observantur.

Numerus ordinatorum necessitati Archidioecesis fuit hucusque impar.

Antiquae dioecesis Samogitiensis dismembratione peracta et novis dioecesibus exortis tres sacerdotes ex dioecesi Telšensi incardinati sunt in Archidioecesi Kaunensi in locum trium dimissorum in dioecesim Telšensem.

30. In concedenda facultate sacramentales confessiones audiendi regulae cann.877 et seq. pariter can.893 seq. circa casus reservatos servatae sunt.

31. Circa sacram praedicationem consultum est ut iuxta Const.S.P. Benedicti XV et normas a S.C.Consistoriali datas die 28 iunii 1917 omnia rite procederent; praescripta can.1340 seqq. circa licentiam concedendam et can.1347 circa modum et argumentum concienandi observantur.

32. Nuptiae fidelium cum infidelibus vel impiis non occurrunt; fidelium vero cum acatholicis protestantibus et schismaticis graeco-orientalis confessionis russicae initae sunt coram ministro catholico cum debita dispensatione, servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis.

Casus matrimoniorum mixtorum, contractorum coram ministro acatholico sunt rarissimi.

33. Cum Archidioecesis regimen vix 1926 anno susceperim, omnes ecclesias visitare nondum potui. In iis quas anno elapso adii, praeter loca et res, libros et archiva visitavi, quoque personas clericorum, uniuscuiusque vitam confessionisque frequentiam cognoscendo.

In visitatis ecclesiis legata nulla inveni. Quoad missarum manualium satisfactionem et stipem abusus nullos reperi.

34. Praeparationes ad synodum dioecesanam celebrandam iam fiunt et Deo permittente anno 1929 vel saltem 1930 talis synodus haberi poterit.

35. Provincia ecclesiastica constituta est vix 1926 anno et Concilium Provinciale haberi nondum potuit. Conferentiae Episcoporum convocatae erant quinquies. Intererant omnes Episcopi huius Provinciae. Aderat in his Conferentiis semper etiam v.g. Internuntii Apostolici in Lituania.

36. Relationes cum civili loci auctoritate hactenus sunt rectae. Episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta servari potest; servilitate erga humanas potestates vel alio modo detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae aut dedecus statui ecclesiastico non obvenit.

CAPUT V.

<u>De Curia archidioecesana</u>.

37. Curia archidioecesana habet aedes proprias, tamen non omnino sufficientes et convenientes, praesertim pro archivo dioecesano servando. Huic defectui praesenti tempore consuli nequit.

Prospectus officialium Curiae archidioecesanae:

1. Vicarius Generalis, Casimirus-Stephanus Šaulys, Praelatus Domesticus Suae Sanctitatis, Canonicus capituli metropolitani.
2. Officialis, Praelatus Paulus Januševičius, M.T.
3. Vice-Officialis, presb. Ioseph Liesauskis, Dr.T.
4. Promotor Iustitiae, presb. Petrus Malakauskis, Dr.Iur.
5. Defensor vinculi, presb. Petrus Malakauskis, Dr.Iur.
6. Cancellarius, Ioseph Byla, Can.hon.
7. Vice-Cancellarius, presb. Ioannes Sitavičius, Lic.T.
8. Secretarius Archiepiscopi, presb. Stanislaus Ūsoris, Dr.Ph.
9. I. Notarius f.m., presb. Ioannes Sitavičius, Lic.T.

10. II.Notarius, presb. Miecislaus Sandanavičius, Lic.Iur.

11. III.Notarius.

12. Archivarius, presb.Petrus Veblauskas.

13. Actuarius in Tribunali metropolitano v.g.presb.Miecislaus Sandanavičius, Lic.Iur.

14. Registrator, Iustinus Skvireckas.

15. Calculator.

16. Scriba Tribunalis.

17. II.Scriba, Ioseph Vaitonis.

18. III.Scriba, Vincentius Kurdzikauskas.

19. Cursor f.m., Ioseph Vaitonis.

20. Apparitor.

Tribunal Ordinarium primae Instantiae.
(constitutum die 7 decembr.1918).

Officialis, Praelatus Paulus Januševičius, M.T.

Vice-Officialis, Ioseph Liasauskis, Dr.T.

Promotor iustitiae, presb.Petrus Malakauskis, Dr.Iur.

Defensor vinculi, presb.Petrus Malakauskis, Dr.Iur.

Notarius, presb.Miecislaus Sandanavičius, Lic.T.

Tribunal Ordinarium secundae Instantiae
Archidioecesis Kaunensis.

Iuxta can.1594 § 2, designavi pro appellatione in secunda instantia Tribunal Ordinarii Vilkaviškensis. Quam designationem SS-mus D.N. benigne approbavit per rescriptum S.C.Consistorialis die 4 iunii 1926.

Iudices pro-synodales.

1. Praelatus Alexander Dambrauskas, M.T.

2. Praelatus Paulus Januševičius, M.T.

3. Praelatus Cmnstantinus Olšauskis, M.T.

4. Canonicus Antonius Alekna, C.T.

5. Cannn. hon. Ioseph Stakauskas, M.T., M.I.C.

Notarii et actuarii.

1. Presb. Miecislaus Sandanavičius, Lic.Iur.

2. Presb. Ioannes Sitavičius, Lic.T.

Archivarius, presb.Petrus Veblauskas.

Parochi Consultores.

1. Praelatus Paulus Januševičius, M.T., parochus ecclesiae Kaunensis SS.Trinitatis.

2. Clemens Šovys, Dr.T., parochus Seredžensis.

3. Antonius Kryžanauskis, parochus Viduklensis, Can.hon.

4. Casimirus Pronckietis, M.T., parochus et decanus Kėdainensis.

5. Stanislaus Sarapas, parochus et decanus Šiaulensis, Can.hon.

Consilium Administrationis
ad ordinandum universum bonorum ecclesiasticorum negotium.
(const.7 dec.1918).

Praeses, Ordinarius loci.

Consiliarii: 1.Praelatus Ioannes Mačiulis-Maironis, Dr.T.
2.Canonicus Casimirus-Stephanus Šaulys, M.T.
3. Canon.hon. Ioseph Byla.

Coetus Deputatorum
in consilium Seminarii metropolitani ad proximum sexennium.
(const.mense ianuar.1925).

a) Pro consilio disciplinae:
1. Praelatus Alexander Dambrauskas, M.T.
2. Canonicus Antonius Alekna, C.T.

b) Pro consilio administrationis:

1. Praelatus Paulus Januševičius, M.T.
2. Canonicus hon. Blasius Čėsnys, Dr.T.

Consilium Vigilantiae.

1. Praelatus Ioannes Maironis-Mačiulis, Dr.T.
2. Prof. Franciscus Būčys, Dr.T.
3. Prof. Blasius Čėsnys, Dr.T.
4. Prof. Antonius Maliauskis, Dr.Ph.et Rer.pol.

Censores librorum de religione tractantium.

1. Praelatus Ioannes Maironis-Mačiulis, Dr.T.
2. Praelatus Alexander Dambrauskas, M.T.
3. Praelatus Paulus Januševičius, M.T.
4. Prof.Marcus Morkelis, M.T.
5. Prof. Ioseph Meškauskas, M.T.
6. Liasauskis Ioseph, Dr.T., Vice-Offic.Curiae.
7. Stanislaus Ūsoris, Dr.Ph.,Secretarius Archiepiscopi.
8. Canon.hon. Paulus Dogelis.
9. Canon.hon. Ioseph Byla, Cancellarius Curiae.
10. Jokūbauskis Stanislaus, M.T., Can.hon.
11. Canon.hon. Stanislaus Sarapas.

Examinatores pro-synodales
ad proximum decennium ad normam can.385-390 constituti.

1. Praelatus Ioannes Maironis-Mačiulis, Dr.T.
2. Praelatus Alexander Dambrauskas, M.T.
3. Praelatus Paulus Januševičius, M.T.
4. Canonicus Casimirus-Stephanus Šaulys, M.T.
5. Canonicus Antonius Alekna, C.T.

Commissio ad ordinandas Conferentias decanales sacerdotum.

Praeses, Praelatus Ioannes Maironis-Mačiulis, Dr.T.

Membra: 1. Canon.hon.Prof.Blasius Čėsnys, Dr.T.

2. Canonicus Antonius Alekna, C.T.

3. Prof. Antonius Maliauskis, Dr.Ph.et Rer.pol.

4. Prof.Franciscus Penkauskas, M.T.

5. Prof. Marcus Morkelis, M.T.

Commissio ad ordinandum negotium musicae ecclesiasticae.

1. Canon.hon.Ioseph Byla.

2. Presb. Adolphus Sabaliauskas.

Officia.

1. Commissarius ad ordinandum negotium Congregationum religiosarum mulierum, Prof. Franciscus Būčys.

2. Secretarius pro negotiis studiorum academicorum,Prof.Fr.Būčys.

3. Secretarius pro actione sociali, presb.Vincentius Mieleška.

4. Secretarius pro negotiis institutionis christianae et scholarum catholicarum, Canonicus Antonius Alekna.

5. Secretarius pro operibus pietatis et caritatis, Canonicus hon. Ioseph Stakauskas.

6. Director archidioecesanus Associationis Apostolatus Orationis, P.Benedictus Andruška, S.J.

38. Vicarius Generalis est Ill-mus D-mus Casimirus-Stephanus Šaulys, Praelatus Domesticus S.S., professor iuris canonici in Facultate theologica, sana doctrina, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendatus.

Ceteri ministri Curiae sunt sacerdotes, bonis moribus et sufficienti doctrina ac prudentia praediti.

39. Proventus Curiae habentur potissimum ex aerario publico. Pe-

cunia accepta in cumulo in fine singulorum mensium traditur singulis quibus est destinata, iuxta tabellam lege civili approbatam.

Praeterea secundum vigentem immemorabilem consuetudinem percipitur aliqua praestatio pro concedendis dispensationibus a publicationibus matrimonialibus in quantitate a 5 ad 15 litorum pro casu. Ita collecta pecunia erogatur in diversas minores necessitates cancellariae Archiepiscopi et eleemosynas pauperibus.

Aliae eleemosynae vel taxae, solutae iuxta vires pro dispensationibus matrimonialibus, erogatis ab Ordinario vigore facultatum specialium, transmittuntur mediante S.Congregatione Consistoriali, ad S.Congregationem de Sacramentis, resp.ad S.Congregationem Concilii.

C A P U T VI.

De Seminario.

41. Kaunae habetur Seminarium metropolitanum, in quo studiis philosophicis et theologicis vacant et ad sacerdotium praeparantur alumni oriundi e dioecesibus Kaunensi, Telšensi, Panevėžensi et Kaišedorensi. Qui ubiprimum ad ordines minores suscipiendos accedunt, clero propriarum respectivarum dioecesium adnumerantur. Numerus omnium alumnorum Seminarii nunc temporis est 193.

Totus studiorum cursus divisus in licealem seu philosophicum et theologicum durat septem annos. Ad studia licealia peragenda non admittuntur nisi ii, qui testimonium afferunt de cursu quinque classium gymnasialium in scholis publicis rite absoluto et praeterea exsamina concursalia ex disciplinis linguae latinae et patriae ac religionis cum successu subeunt. In hoc cursu liceali traduntur per tres annos disciplinae institutionis communis convenienter cum normis programmatis studiorum pro classibus superioribus scholarum publicarum seu gymnasialium praescripti. Multo plures tamen horae destinantur

linguae latinae, catechismo et praesertim philosophiae. Cursu liceali absoluto alumni obtinent testimonium dictum maturitatis, quod exigitur ut ad studia proprie dicta theologica admitti valeant.

Cursus Theologicus durat ad minus 4 annos, nam iis qui ad gradus academicos aspirant additur saltem unus annus suppletorius. Disciplinae quae in cursu theologico traduntur sunt eae quas praescribit Codex Iuris Canonici.

a) Externam totius Seminarii disciplinam regunt:

Rector Seminarii Praelatus Ioannes Maironis-Mačiulis, Dr.T.

Vice-Rector sac. Franciscus Penkauskas, M.T.

Praefectus sac. Franciscus Venckus, Dr.T.

Director spiritus est sac. Ioseph Meškauskas, M.T.

In cursu liceali seu philosophico docent:

Litteras universales et historiam Lituaniae Rector Seminarii.

Linguam latinam, propedeuticam theologiam et scientiam status sac. Franciscus Penkauskas, M.T.

Catecheticam, litteras lituanas, theoriam artis litterariae et linguam graecam sac. Marcus Morkelis, M.T.

Historiam universalem et Ecclesiae ac linguam latinam P.Benedictus Andruška, S.J.

Liturgicam, scientiam natur.et asceticam sac.Ioseph Meškauskas,M.T

Philosophiam et linguam germanicam sac. Stanislaus Ūsoris, Dr.Ph.

Algebram, geometriam, physicam, trigonometriam et cosmographiam sac. Franciscus Venckus, Dr.T.

Cantum ecclesiasticum sac. Brazys Theodorus.

Hygienam Rochus Šliupas, Dr.Med.

In cursu theologico (Facultate theologica)

S.Scripturam Vet.Test. et linguam hebraicam tradit professor ord. Praelatus Alexander Grigaitis, Dr.T. et Lic.S.S.

S.Scripturam Novi Test. et Archeologiam biblicam - prof. ord. Ioseph Skvireckas, Dr.T., Archiepiscopus Kaunensis.

Theologiam Dogmaticam - prof.ord. Blasius Česnys, Dr.T.

Theologiam Fundamentalem et Encyclopaediam theologicam - prof. ord. Franciscus Būčys, Dr.T.

Theologiam Moralem - prof.ord. Ioannes Maironis-Mačiulis, Dr.T.

Theologiam Pastoralem - docens Ignatius Česaitis, Dr.T.

Ius Canonicum - prof.extraord. Praelatus Casimirus-Stephanus Šaulys, M.T., et docens Petrus Malakauskis, Dr.Iur.

Historiam Ecclesiae - prof. extraord. Antonius Alekna, C.T.

Theologiam Asceticam et Liturgicam - sac.Ioseph Meškauskas, M.T.

Patrologiam et Homileticam - docens Marcus Morkelis, M.T.

Archaeologiam et artem christianam - prof.ord.Blasius Česnys, Dr.T.

Sociologiam - prof.extraord. Antonius Maliauskis, Dr.Ph.et Rer.pol.

Cantum - docens Theodorus Brazys.

b) Satis amplum territorium Seminarii separatum est ab urbe muro, quo est circumseptum undequoque ita ut clausura haud difficile observari potest. Aedes Seminarii constant duabus magnis lapideis domibus, cum adiacenti ecclesia Seminarii. In his domibus alumni habent cubicula ad habitandum, inveniuntur etiam aulae pro scholis. Praeter has duas domos in eodem territorio inveniuntur aliae minores, una pro professoribus, aliae pro famulatu. Aedes principales erectae 1471 anno destinatae erant monasterio Fratrum Ordinis S.Francisci. In usus Seminarii traditae sunt 1864 anno, haud semel restauratae et novissime auctae, exigentiis hygienicis nondum omni ex parte respondent.

Domus rusticationis deest. Alumni fere omnes rure oriundi ferias in domibus paternis agunt.

c) Omnes superiores Seminarii, professores et docentes obtinent ex aerario publico pensiones aequales illis, quae solvuntur respectivis magistris scholarum publicarum. Dantur praeterea a Gubernio

Seminario quaedam subsidia pro oeconomicis necessitatibus et haud multa stipendia (40) pro alumnis. Ipsum Seminarium possidet bona immobilia, praedium 60 ha prope Kaunam et amplam domum lapideam cum horto, quae quotannis titulo locarii circa 18.000 lit. praebent. Huc accedunt praestationes, quae quotannis colliguntur a clero dioecesano, et dona sponte oblata a fidelibus. Cum haec omnia, demptis necessariis expensis pro sustentatione aedium, famulatus et rei oeconomicae, omnino insufficientia sint, ut omnes alumni Seminarii omnino gratis recipi et educari possint, ideo ab eis qui solvendo pares sunt exigitur a singulis pro victu 600 lit.per annum.Quae summa tamen successive minuitur quo quis in superiore cursu est.

d) Ad meliorem Seminarii statum reddendum videtur esse necessarium sumptuum augmentum eo fine ut tandem aliquando omnium aedium restauratio perficiatur, iuxta hygienae exigentias, ut maior alumnorum numerus omnino gratis recipi et educari queat, ut pietate, idoneitate et ingenio praestantes alumni in maiore quam nunc numero in Facultates theologicas aut Academias exteras mitti possint ad studia specialia continuanda et ita praeparentur novi omnino necessarii magistri pro Seminario.

42. Seminarium non est distinctum in maius et minus. Omnes alumni sive cursus licealis sive theologici habitant in iisdem aedibus.

43. Tributum pro Seminario generale eiusdem proportionis, attentis rerum circumstantiis, introduci adhuc non potest.

Regulae:

Can.1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas;

Can.1358,1360,1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem;

can.1359 circa binos coetus deputatorum, alterius pro disciplina, alterius pro administratione rerum temporalium;

can.1363,1371 circa alumnos admittendos et dimittendos;

can. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae;

can. 1367 circa pietatis exercitia;

can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas fideliter servantur, iuxta datam ab Ordinario Instructionem specialem pro Seminario.

44. Ordinarius curat, ut aliqui alumni pietate et ingenio praestantes in Urbe vel in Universitatibus exteris rite probatis studiis vacent. Nunc temporis studiis theologicis Romae vacant presbyteri: Petrus Kaščiukas et Antonius Krušas. Duo alii mittentur post ferias aestivales.

CAPUT VII.

De clero generatim.

45. Clerus opulentia non eminet, sed generatim habet quo honeste vivere possit, quamquam [illegible] tempore rerum ordine perturbato sit.

Pro senibus et infirmis domus specialis non habetur. Omnes tamen sacerdotes Archidioecesis solvunt modicam taxam (50-60 lit.) in arcam communem, ex qua senes et infirmi adiuvantur. Praeterea iuxta Concordatum omnibus sacerdotibus fas est nomen dare arcae publicae (caisse de retraite), quae senibus emeritis pensiones solvit. Hucusque tamen sacerdotes ab hac arca abstinere malunt.

46. Domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis non habetur. Exercitia communia cleri peraguntur in Seminario aestivo, quando Seminarii aedes sunt liberae. Domus, quo poenitentes recipiantur, non habetur; non tamen deest spes talem domum inventum iri.

47. Ordinarius saepius revocat in memoriam obligationes clericorum circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia, de quibus can. 125. Notabilior negligentia hoc sub respectu in clero non observatur.

Can. 126. Quotannis instituitur in urbe episcopali bina series exercitiorum spiritualium, ad quas clerus dioecesanus invitatur. Exercitiis praesunt Patres Mariani et Patres Societatis Jesu.

Can. 130. Examina novorum sacerdotum habentur.

Can. 131 et 448. Conferentiae cleri sive in urbe archiepiscopali sive in Archidioecesi habentur. Saepius Kaunae et quidem mensibus ab octobre usque ad maium; paulo rarius in Archidioecesi in aestate, alio enim tempore clerus ad conferentias commodé venire non potest.

Praescripta can.133 circa cohabitationem cum mulieribus observantur.

Can. 134. Clerici, praesertim vicarii cooperatores, cum suo parocho semper in eadem domo paroeciali communem vitam agunt.

Can. 135. Clerici, in quantum innotuere potuit, officium divinum recitant fideliter.

Can. 136. Habitum ecclesiasticum et tonsuram generatim deferunt.

Can. 811. Ad Missae celebrationem et functiones sacras peragendas nemo clericus sine veste talari admittitur. Cautum est hac in re speciali mandato Ordinariatus.

Can. 137. Fideiussiones clericorum fere non occurrunt.

Praescripta can.138-140,142 circa abstinentiam ab omnibus, quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione generatim observantur. Rarae transgressiones etiam poenis reprimuntur.

48. Licentiam, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis cooperativis, ultimo biennio duobus tantum sacerdotibus concessi in parvis communitatibus, deficientibus laicis et ob utilitatem religionis.

Sunt nempe in Lituania ex una parte cooperativa, arcae parsimoniales et similia stricte catholica, quibus nomen dant soli catholici,

parati exercere etiam hoc modo actionem catholicam, altera ex parte sunt cooperativa quae nomine catholicorum non gloriantur, ad quae accessus patet liberalibus vel etiam acatholicis. Omne adiutorium illis (catholicis cooperativis) praebitum utile esse videtur etiam rei catholicae; proinde laicis magis peritis deficientibus opera cleri manet necessaria et utilis est. Administratio talium arcarum rectius geritur et periculum decoctionis abest. Sacerdotes, qui cum licentia Ordinarii illis applicati sunt, a religiosa sacerdotalis vitae praxi non deflectunt et nullam molestiam nunc temporis adferunt.

49. Clerus generatim praestat eam quam can.127 praescribit oboedientiam erga Ordinarium suum, amoreque prosequitur Sedem Apostolicam.

Clerus diversi ritus in Archidioecesi non est.

50. Clerus officia, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit, suscipit obsequenter; qui otiosi vivere mallent non habentur; universitates laicas nullus clericus frequentat.

51. Haud pauci sacerdotes in diariis et libellis periodicis scribunt et ea moderantur; atque haud parva utilitate id peragunt. Can. 1386 § 1.Unus alterve etiam habetur, qui forte praesumpta Ordinarii licentia iam ab antiquiore tempore id facit et non omnino laudabiliter.

52. Generatim clerici a legendis diariis vel libris prohibitis sese abstinent vel in casu necessitatis dispensationem sibi procurant.

Litteris episcopatus Lituaniae 1928 an. prohibitum est clero nomen dare factionibus politicis atque notabilis inoboedientia non praevidetur.

Clerici, qui ad statum saecularem reducti sunt aut per nefas ad illum sponte sunt regressi (can.211-214) sunt in Archidioecesi plu-

res. Eorum nomina denuntiata sunt Sedi Apostolicae a praedecessore meo Episcopo Samogitiensi. Regimine Archidioecesis a me suscepto illis accessit adhuc unus, nempe sacerdos Adamus Vilimas (Vilimavičius), qui etiam a praedecessore meo haud semel punitus erat nec sese emendavit. Aliud remedium ad mala, quae iam facta sunt, praeter orationem non invenio.

53. Duo sacerdotes propter vitam scandalosam privati sunt habitu ecclesiastico (can. 2298). Hi sunt Antonius Vitartas et Alexander Chalecki, advena ex dioecesi Luceoriensi in Polonia. Uterque tamen videtur non omnino suae mentis compos. Prior detinetur in nosocomio.

CAPUT VIII.

De capitulis.

55. Capitulum cathedrale adest, ~~nempe idem quod fuit ante dioecesis Samogitiensis dismembrationem et Archidioecesis Kaunensis erectionem.~~ Constat ~~sex~~ quinque praelaturis seu dignitatibus et tribus sex simplicibus canonicatibus.

Praelaturae hae antiquis temporibus institutae sunt ab episcopis Samogitiensibus et singulae approbatae sunt a Summis Pontificibus. Omnes praelaturae et canonicatus sunt collationis episcopalis; insuper capitulares gaudent iure optionis. Quoad canonicatus hoc ius optandi est concessum ipsa lege fundationis capituli. Quoad praelaturas ius optionis extensum est constitutione Episcopi Samogitiensis data 1810. Capitulares lege fundationis possunt possidere beneficia paroecialia.

Officia Canonici theologi et Poenitentiarii adsunt. Munus theologi implere censetur canonicus, qui ad normam can. 400 § 3 sacras disciplinas in Seminario docet.

Habetur Collegium vicariorum cathedralium ecclesiae cathedralis, constans vice-praeposito et quinque vicariis. Hoc Collegium vicariorum quotidie divina officia in choro persolvit vi legis fundationis

loco capitularium, qui solummodo diebus dominicis te festis per turnum Missam in ecclesia cathedrali celebrant, ceteris assistentibus.

56. Dotatio capituli nunc temporis est: unum praedium 40 ha prope Kaunam et aliquot aedes in civitate archiepiscopali, ultimis temporibus sumptibus ipsorum capitularium restauratae et auctae, ex quibus aedibus, debitis solutis et restaurationis expensis tectis, praevidentur haud parvi reditus, non tamen sufficientes ad honestam omnium capitularium sustentationem.

Regulae can. 393 circa distributiones quotidianas et punctaturas vix servari possunt.

57. Canonicatus aut beneficia patronata non habentur.

58. Capitulum habet Statuta seu "Constitutiones Capituli Basilicae Cathedralis Samogitiensis seu Kaunensis" anno 1563 a Nuntio Apostolico cum facultate Legati de Latere in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae confirmatas, anno 1924 recognitas et ad tramitem Codicis Iuris Canonici emendatas ac ab Episcopo loci approbatas.

59. Canonici ad honores sunt 14. Regulae can.406 de iis servantur.

60. Archidioecesis Kaunensis erecta est per dismembrationem dioecesis Samogitiensis, cuius ultimus Episcopus Sedi renuntiavit anno 1926. Archiepiscopus Kaunensis ipsi successit immediate absque sedis vacatione.

61. Capitulum Ordinarium debito honore prosequitur. De modo, quo sacras functiones peragit, vide sub n.55.

62. Alia capitula in archidioecesi non sunt.

C A P U T IX.

De vicariis foraneis et parochis.

63. Vicarii foranei, vulgo decani, adimplent ea omnia, quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur. Paroecias visitant quotannis iuxta normas praescriptas ab Ordina-

rio et quotannis reddunt Ordinario rationem de statu sui vicariatus iuxta can. 449.

64. Paroeciae omnes de suo proprio pastore sunt provisae, et quidem de uno dumtaxat ad normam can. 460.

65. Paroeciae amovibiles non adsunt. Nulla est unita capitulo cathedrali aut alii personae morali.

66. Paroeciae patronatui obnoxiae non habentur.

67. Paroeciae omnes sunt liberae collationis episcopalis et vacantes conferuntur iis, qui videntur magis digni et apti.

68. Omnes ecclesiae paroeciales habent funda terrae, pleraeque circa 35 ha. Parochi vivunt ex reditibus horum fundorum, modica pensione ex aerario publico, iuribus stolae et partim ex liberis fidelium contributionibus annuis. Vivunt satis honeste nec sunt qui egestate laborent.

Penes omnes ecclesias habentur domus paroeciales propriae pro clero.

69. Parochi generatim satisfaciunt iis, quae praescribunt can.463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis, qui solvendo non sunt pares;

can. 465 circa residentiam;

can. 466 circa applicationem Missae pro populo saltem semel in mense ex dispensatione S.Sedis Apostolicae;

can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum;

can. 468 circa infirmorum curam;

can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant, et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda;

can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos, circa exem-

plaria tradenda quotannis per vicarios foraneos Curiae archiepiscopali;

can. 735 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.

70. Circa baptismum. Omnes ecclesiae paroeciales et etiam filiales sacro fonte sunt instructae.

Tempore hiemali, quando ob frigora infantes sive gravi periculo in ecclesiis baptisari nequeunt, fons baptismalis ex immemorabili consuetudine collocatur in aedibus calefactis domus paroecialis, vel de licentia Ordinarii, ad normam can. 776, baptismus in domo privata administratur.

71. Circa SS.Sacramentum. Parochis generatim cura est et studium indefessum ut fideles, iuxta can.863, saepius et etiam cotidie Pane eucharistico reficiantur;

ut,iuxta can.865, infirmi dum plene sunt sui compotes, S.Viaticum suscipiant;

ut,iuxta can.1273-1275,cultus SS.Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam pro posse Missae assistentiam, ad visitationem peragendam, exponendo statutis temporibus SS.Sacramentum;

ut,iuxta can.854, pueri usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quam primum ad sacram communionem admittantur.

72. Circa Extremam Unctionem. Parochis cura est, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

73. Circa matrimonii celebrationem. Parochis omnibus diligens cura est observandi, quae praescripta sunt in Codice lib.III,tit.VII circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus et matrimonii adnotationem.

74. Circa cathechesim. Omnes parochi satis diligenter servant, quae praescribit:

can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et

communionemet pro puerorum confirmatione;

et can.1331-1336 de catechismo diebus festis impertiendo tum pueris tum adultis in iis saltem ecclesiis, apud quas praeter parochum adhuc alius sacerdos habetur.

75. Circa evangelii explanationem lex can. 1344 servatur.

Circa sacras conciones. Statis temporibus, praesertim in Quadregesima, sacrae conciones habentur frequentìms ad normam can.1346 et locum habent sacrae missiones, iuxta can.1349.

76. Vicarii cooperatores aliique animarum curatores, exceptis forte paucissimis, suis officiis funguntur laudabiliter, iuxta can.473.

C A P U T X.

De religiosis.

77. Visitatio domorum religiosarum per delegatos peragitur, orta necessitate. Quinquennalis vero visitatio nondum est peracta, cum Archidioecesis regimen vix 1926 anno susceperim.

78. Omnes religiosi, sive viri sive mulieres, vitam communem ducunt, bona fama gaudent et dioecesi utiles sunt. Hucusque tamen sunt perpauci.

Religiosi Ordinis Fratrum Minorum S.Francisci, moniales Benedictinae, sorores S.Casimiri, S.Catharinae et S.Crucis in habitu suae religionis incedunt. Sorores vero Congregationum occultarum, vigore suarum Constitutionum, modesto habitu saeculari incedunt.

79. Congregatio vel societas in communi sine votis viventium non datur.

80. Religiosi vel religiosae quaestuantes non sunt.

81. Ordinarius in suae iurisdictionis exercitio nullum offendiculum cum religiosis habuit.

82. Religiosi viri ordinibus sacris initiati, qui exclaustrati, saecularisati aut dimissi fuerint, non adsunt.

83. De religiosis mulieribus: a) leges canonicae circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem observantur, iuxta can.512 seqq., b) monasteria monialium superioribus regularibus subiecta non sunt, c) sorores vitae activae praecipue puellis et orphanotrophis educandis, in christiana doctrina instituendis magno cum religionis fructu operam dant, d) sorores, quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in domibus virorum gerant, nondum habentur.

C A P U T XI.

De populo fideli.

84. Populus generatim excellit religiositate et bonis moribus, plerique vitam vere christianam privatam in familiis vivunt; in oppidis vero et civitatibus permixti cum iudaeis, acatholicis et indifferentibus saepius contra vitae christianae praecepta peccant. Sollemnitates ecclesiasticas magno amore prosequitur et illis in vero pietatis spiritu assistit.

Ut christianae vitae professio labefactata per infausta diuturni belli adiuncta et abusum libertatum civilium ad pristinum rigorem reducatur, instituuntur catholicae associationes, propagatur Actio Catholica, divulgantur catholici libri et ephemerides, instituuntur sacrae missiones, plus attenditur ad catecheticam puerorum instructionem, multorum enim radix malorum est insufficiens religiosa populi instructio.

85. Fideles generatim clericos, maxime Episcopum et Summum Pontificem omni qua par est reverentia prosequitur.

86. Fideles circa praeceptum audiendi sacrum paulo tardiores facti esse videntur; ab operibus servilibus diebus festis omnino abstinent, abstinentiam et ieiunium servant, iuxta can.1252,1254, solliciti sunt ut baptismus infantibus conferatur. Can.770.

Can.859. Populus communionem paschalem in paroeciis ruralibus ge-
ieratim suscipit, exceptis aliquando paucis tantum viris et paucissi-
is feminis. In oppidis, ubi sunt plures qui cultiores dicuntur vel
perarii socialismi erroribus imbuti, multi (forte dimidia omnium pars)
communione paschali se abstinent. Catholicos se esse profitentur, re-
igionis vero dogmata suo sensu intelligunt et praeceptis Ecclesiae se
ubiicere detrectant.

Can. 863. Haud pauci ex populo, iuventute catholica studiosa etiam
niversitaria frequenter, etiam cotidie, Pane eucharistico reficiun-
ur. Inter dictam iuventutem habentur circuli Eucharistici.

Can. 865 et 944, Extrema sacramenta generatim a fidelibus appetun-
tudiose; adsunt tamen praesertim inter dictos cultiores, qui extre-
orum sacramentorum susceptionem differunt vel negligunt, rarissimi
ero qui expresse recusare audent. Proportio pro centenis indicari non
otest, sunt enim casus singulares.

Cadaverum crematio in tota regione non est in usu; omnes, etiam li-
eralismo vel indifferentismo in rebus fidei faventes, funeribus eccle-
iasticis sepeliri malunt.

87. Circa <u>matrimonium</u>. Matrimonia civilia et divortia inter catholi-
os non habentur. Concubinatus in urbibus proportionem unius pro cen-
um non censetur efficere; in paroeciis ruralibus rarissimi.

Alia contra matrimonii sanctitatem vitia raro audiuntur.

88. Mixta matrimonia catholicorum cum protestantibus vel schismati-
is aliquando occurrunt. Numerus horum matrimoniorum anno elapso fuit
5; comparatus cum numero matrimoniorum non mixtorum efficiebat 1,6
ro centum. Maiora detrimenta religionis ex mixtis matrimoniis non
roveniunt. Immo pars acatholica haud raro convertitur ad fidem catho-
icam.

Clausulae, de quibus can.1061, stricte serventur. (cf. nr. 32)

89. <u>De christiana educatione prolis</u>. Parentes aut qui loco parentum sunt, etiamsi in rebus fidei indifferentes sunt, prolem more christiano secundum vigentem consuetudinem educare solent.

90. <u>De scholis</u>. In scholis publicis, praesertim elementariis et mediis praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum servatur. Obligationi religiosae institutionis iuventutis catholicae in scholis cautum est etiam per recens Concordatum Lituaniae cum Sede Apostolica.

91. Omnes scholae elementariae, exceptis tribus, sunt publicae. Catholici coadunati in associationes habent in Archidioecesi sex scholas publicas, quas circa mille alumni frequentant. Hae scholae sustentantur ab ipsis catholicis, sed hucusque habebant haud parva, immo sufficientia, subsidia a Gubernio, quae nunc temporis minuuntur, catholicis reclamantibus. Scholae privatae ceterum gaudent iisdem iuribus, quibus gaudent scholae publicae, satis libere condi possunt; non instituuntur vero plures, quia sine magnis Gubernii subsidiis sustentari non possent, abundantiores vero sumptus proprios ipsi catholici propter paupertatem praestare non valent. Magno vitio omnibus scholis, tum publicis tum privatis, vertendum est, quod hucusque fere in omnibus, exceptis ~~forte decem~~ septem, permanet coeducatio, id est scholae frequentantur simul a pueris et puellis. Contra hoc malum clamant et publica auctoritas et privati catholici, ideo non deest spes tandem aliquando hoc malum sublatum iri.

Praeservationi iuventutis scholaris caveri studetur per ei proprias associationes catholicas (Ateitininkai, Pavasarininkai, Eucharistininkai), quae proprios libellos periodicos, libros, ephemerides edendos curant, conferentias instituunt, congressus iuventutis catholicae celebrant. Associatio tamen iuventutis scholaris „Ateitininkai" in scholis mediis et eius activitas nunc temporis prohibita est a Gubernio.

92. Quoad religiosas et pias <u>laicorum associationes</u>. In quavis

paroecia adest haud parvus numerus sodalium Tertii Ordinis S.Francisci; fere omnes fideles adscripti sunt confraternitatibus SS.Rosarii, B.M.V. de Monte Carmelo, multi - confraternitatibus S.Dominici, SS.Sacramenti, S.Cordis Jesu etc.

Confraternitates SS.Sacramenti et Doctrinae Christianae erectae sunt penes omnes ecclesias paroeciales. Prior haud paucos habet sodales, ~~pauciores vero altera.~~ crescit paulatim etiam numerus eorum qui sua nomina dant alteri.

Religioni et Ecclesiae omnes laicorum associationes sunt maximae utilitatis.

93. Omnes associationes canonice erectae servant praescripta can. 690 de subiectione erga Ordinarium et can.691 de administrationis modo.

94. Inter catholicas associationes sunt etiam sat numerosae illae, quae sociales vocantur: agricolarum, operariorum, mulierum catholicarum in finem cautativum vel mutuum subsidium, asyla pro infantibus et senibus, circuli pro iuventute. Omnes generatim directioni et moderationisOrdinarii et Apostolicae Sedis subsunt.

Utiles sunt Ecclesiae, quia illae constituunt organisatas vires ad diffudenda et defendenda catholica principia in vita privata et publica.

95. Ut in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant ii, qui hisce associationibus,sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, magna cura habetur. ~~Haud paucae~~ Fere omnes associationes habent assistentes ecclesiasticos.

96. Diaria obscoena et modernistica non habentur. Irreligiosa et liberalia, etiam libri huius generis, eduntur a socialistis et liberalibus et habet suos lectores. Gubernium favere videtur ephemeridibus, quae neutrae dici possunt. Ad hoc malum coercendum catholici et eorum associationes diffundunt ephemerides et libros catholicos. Dificilius est pugnare contra ephemerides neutras.

Ultimis tamen annis ephemerides catholicae populares iam superant

97. Massonicae sectae addicti vel massonicae tabernae in Archidioecesi videntur non haberi. Suspiciones tamen non desunt.

98. Socialismi societates habentur. Socialistae-communistae lege non admissi clam contra fidem et ordinem civilem agitare student;his haud absimiles sunt socialistae-democratae,ubique proclamant religionem esse rem privatam, exigunt ut Ecclesia a Statu separetur,ut Ecclesia suis bonis spoliaretur; quos adiuvant liberales-populares. In electionibus publicis populum seducunt variis promissionibus et multos votantes pro se inveniunt. In ultimis electionibus omnium denominationum socialistae habuerunt iam fere dimidiam partem omnium mandatorum. Ex parte catholicorum illis opponitur actio catholica.

99. In exercitio iurium politicorum et civilium minor solummodo catholicorum pars ultima vice voces dedit pro iis, qui religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulere parati sunt.

C A P U T XII.

Iudicium sintheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. Omnibus in universum complexis, dioecesis condicio materialis et moralis non est facilis. Catholici nostri, parum quidem in rebus fidei instructi, sed religioni catholicae deditissimi per multa decennia annorum sub iugo Russorum unicum sibi periculum videbant ex parte schismaticorum Russorum et contra hoc periculum sciebant suam fidem avitam defendere, suo clero duce. Vita eorum moralis et etiam materialis multa damna passa est tempore belli diuturni, fides firmior non est facta. Venit tandem politica libertas, qua multi abusi coeperunt in populo spargere diversissimas et saepe perversissimas opiniones, proclamabant populi omnipotentiam, et ita suffodebant fundamenta omnis auctoritatis, divinae et humanae. In iis, qui altiore voce clamabant et audacter quam plurima promittebant, populus noluit videre suos adversarios. Multi eos secuti sunt et adhuc sequuntur, non attendentes, quod ad interitum ducantur.

Res tamen non videtur desperata. Haud pauci etiam ex seductis non videntur amplius credere seductoribus. Iuventutis catholicae imbutae principiis vere catholicis, firmae in fide, deditissimae Ecclesiae agmina continuo crescunt. Augetur etiam numerus bene excultorum ducum catholicorum. Catholici in suis associationibus, in actione catholica discunt et ipsi magis catholice sentire et vivere, et aliis exemplo esse. Diminutus propter belli calamitates cleri numerus continuo crescit et ita in locum debilitatarum succedunt novae vires, rerum et temporum circumstantiis adaptatae. Religiosi viri et mulieres iam non parvo sunt adiumento clero saeculari.

Haec sunt, praeter Omnipotentis DEI auxilium et Beatissimae Virginis protectionem, praecipua fundamenta spei melioris status.

Kaunas, die 13 mensis aprilis 1928 anni.

Nr.1220.

(L. S.) (sig.) Joseph Skvireckas,

Archiepiscopus Metropolitanus

Kaunensis.

Cancellarius Curiae.